Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1389
Quelle:
Copyright:

tur, ſed poſteriore dimidio ſitu paene conſumtus eſt. Init L. I. *De cauſa dei contra pelagium et de virtute cauſarum domini thome de wrawardin doctoris profundi Cantuarien. Archiepiſcopi. Magnorum ac multorum petitionibus ac repetitionibus cumulatis inceſſanter ſollicitor* &c. Praefatio haec eſt; Opus vero ipſum ſic inchoat: *In primis ſupponatur quod deus eſt ſumme perfectus et bonus* &c. ut in Edit. *ſuprac.* niſi quod utraque abſit ad *Mertonenſes Epiſtola.* Ad calcem: *Explicit primus liber huius ſumme per manus Stephani de enczeſtorf a*[ti] (fortaſſe Auſtriaci)

Finito libro ſit laus et gloria chriſto.
Viſum ſcribentis benedic deus atque legentis.
Nomen ſcriptoris ſi tu cognoſcere velis,
Ste *tibi ſit primum, medium* pha, nus *ſit in ymum.*

Anno domini M[o]*. CCC. LXXXI*[o]*. obijt Mater ſcribentis illum librum nomine Margareta* &c. *et tunc currebat annus triceſimus ſcribentis a tempore natiuitatis ſue.* Geſſit deinceps Vir hic Parochus in *Atzpach* et S. *Stephani* Canonicus a. 1391. et 1397. faſces Academicos. Sequitur mox Operis noſtri *Liber II.* verum quo profundius intras Codicem, crebreſcunt deſerta et inhoſpita tesqua.

DCXIX.

U. 468 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 164. f. per duas columnas exaratus et rubricis diſtinctus eſt Exemplar *tertium* Operis mox relati, integrum, et quod ad calcem ita habet: *Explicit iſtud opus de cauſa* (Dei) *contra pelagium et de uirtute cauſarum* (et de) *virtute Dei cauſe cauſarum ſcriptum wienne Anno a natiuitate domini &c. (14)74*[o]*. 13*[o] *Junij et 7*[a] *lunacione Mai et hora 20*[a] *finitum per manus Jobannis.*

DCXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 322 Folior. 25. f. currente calamo exaratus maximam partem ad Acta *Job. Capiſtrani* O. M. in *Germania* pertinet, et exhibet 1) ejus Literas ad Academiam *Viennenſem* datas *Znoyma 24. Sept.* 1451. hujus initii: *Nolo vos admirari clariſſimi Virique celeberrimi diuturnum ſilentium meum* &c. Optat, ut locus habendi cum *Rokyzana* et *Bohemis* de Fidei negotio Colloquii a Rege *Ladiſlao* deſignetur, interſintque delecti ex Academia Theologi, nec obſcure innuit, *Viennam* ſibi praeplacere. Nullibi harum Literarum mentionem reperio. *Waddingus* in *Annalib. Minor.* T. XII. ad an. 1451. ne quidem *Znoymae* meminit.

2) Literas *Job. Rokyzanae* ad *Capiſtranum* absque notis chronol. Ineunt: *Salutem et ſalutis opera facere et docere. Obſecro te frater religioſe in chriſto dilecte* &c. Editae ſunt ab *Amando Hermann* in